

Resp. dist. Agere propter gloriam vanam, *conc.*; propter gloriam veram ac debitam, *neg.*

Tripliciter potest dici gloria vana, primo quidem quando aliquis gloriatur falso, puta de bono quod non habet: unde dicitur prima ad Corinthios: Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (1). Secundo dicitur gloria vana; quando aliquis gloriatur de aliquo bono, quod de facili transiit, secundum illud Isaiae quadragesimo: Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos fœni (2). Tertio modo dicitur gloria vana, quando gloria hominis non ordinatur ad debitum finem (3), videlicet ad honorem Dei vel proximi salutem (4). Jam vero nihil horum reperitur in gloria, quam Deus quærit; illa enim sibi debita est, et ulterius ordinari ad alium finem nequit.

Objic 7.^o S. Thomas hæc habet in quodam loco: *Deus suam gloriam non quærit propter, se sed propter nos* (5) Ergo ex mente S. Doctoris gloria divina non est ultimus finis, cui etiam felicitas nostra subordinetur.

Resp. Sensus S. Doctoris est hic, ut satis colligitur ex contextu, quod Deus non quærit gloriam suam *propter suam utilitatem, sed propter nostram.*

quæro, sim perfectior? Cum magnus esse volo in oculis aliorum, et ita me minuo coram mea propria ratione. ego me imperfectum efficio. Qui honorem querit. etsi illum mereatur, est ambitiosus; ambitio autem secundum rationem et revelationem est reprehensibilis et prohibita. (Hermes, *Dogm.* 2 p., paragr. 177).

(1) 1 Corinth. cap. 4, v. 7.

(2) Isaiae cap. 40, v. 6.

(3) S. Thom. *de Mal.*, quæst. 9, art. 1. Alibi S. Doctor (nempe 2. 2. quæst. 132, art. 1) tres modos vanæ gloriæ refert, in quorum primo videntur duo isti priores contineri. secundum autem modum repetit ex parte ejus, a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus iudicium non est certum.

(4) S. Thom. 2. 2. quæst. 132, art. 1.

(5) 2. 2. quæst. 132, art. 1. ad 1.^{am}

CAPUT II. DE CAUSA EXEMPLARI MUNDI.

98. Cum inter causas ad effectiorem rerum influentes exemplaris forma numeretur, cujus imaginem ac veluti lineamenta opus fabricatum referat, plena de causis mundi tractatio haberi nequit, nisi exemplarem etiam, si qua sit, investigemus. Exemplaris causa vocatur *idea exemplaris*, vel simpliciter *idea*, sumpta hac voce non in significatione cognitionis speculativæ, prout nunc vulgo sumitur, sed in significatione cognitionis practicæ atque operis directivæ: definiturque forma vel similitudo aut imago mente præconcepta, ad cujus imitationem opus aliquod fit, non casu, sed ex intentione operantis. Qua de re fusius actum est in *Ontologia* (1) Idea ergo exemplaris prout ibidem declaratum manet, propria est agentium dumtaxat rationalium et respectu eorum, quæ non casu ad ex naturæ necessitate, verum ex intentione et electione libera operantur. Quare pantheistæ ac materialistæ et positivistæ, ac generatim omnes illi, qui Democriti, Empedoclis et Epicureorum vestigiis insistentes, aut casu mundum effectum esse, aut certe non a causa libera, effutunt, nullam queunt exemplarem causam mundi agnoscere. Contra quos omnes dudum Plato ideas, quasi typos rerum faciendarum, necessarias prorsus esse decrevit; erravit tamen, si illas, ut multi referunt (2), extra Deum et extra individua per se existentes finxit, quemadmodum jam in *Logica* diximus (3). In eo etiam erravit Plato, quod ideas dumtaxat specierum ac substantiarum admisit, accidentium autem et generatim singularium omnium negaverit (4). Pejus errarunt illi, qui, ut refert S. Tomas,

Quid
exemplaris
causa.

Ejus oores.

(1) A n. 425, pag. 1101 seqq.

(2) Vide S. Justin (*Cohortat. ad Gent.*), Tertullian. (*de Anima*). Nazianzen. (*Orat.* 27), Eliam Cretens. *In Orationem* 10.^{am} Nazianzen.

(3) Num. 154, pag. 662. Vide S. Thom. *de Verit.*, quæst. 3, art. 1; 1.^a dist. 36, quæst. 2, art. 1.

(4) Vide apud S. Thom. *de Verit.*, quæst. 3, art. 7 et 8.

Vera sententia.

nam tantum putarunt a Deo creatam esse intelligentiam, a qua deinde anima, orbis et altera intelligentia producta sint, et ab his reliqua omnia: isti unam posuerunt in Deo ideam primæ illius intelligentiæ, alias autem ideas singularum rerum proprias ac distinctas solis causis attribuerunt (1). At vero catholicorum omnium Philosophorum ac Theologorum doctrina est, in Deo esse ideas mundi, atque adeo rerum omnium faciendarum, quas quidem S. Dionysius existentium rationes substantificas dixit, et prædefinitiones... existentium prædeterminativas et effectivas, secundum quas supersubstantialis essentia omnium prædefiniuit, et produxit (2).

99. PROPOSITIO 1.^o Existit causa mundi exemplaris, eaque continetur ideis Dei, qui essentiam suam contemplando, formas rerum omnium, quascumque facturum unquam est, secundum totam suam entitatem distinctissime representatrices excogitat.

Datur mundi causa exemplaris.

Probatur prima pars: datur mundi causa exemplaris. Quæ non casu fiunt vel ex naturæ necessitate, causa exemplari egent seu idea, quæ propriam illorum perfectionem mensuret, ac determinet, quemadmodum ostendimus in *Ontologia* (3). Atqui mundus et omnia, quæ in ipso sunt, aut unquam erunt, vel fuerunt, non casu a Deo nec ex naturæ necessitate facta sunt. Ergo necesse est causam illorum exemplarem agnoscere. Apposite S. Thomas: *Ad productionem alicujus rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar, ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem, quod ea, quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio oportet, quod reducat in primum principium in divinam sapientiam, quæ ordinem universi excogitavit. Et ideo oportet dicere, quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum, quas supra*

(1) Vide S. Thom., 1^o p., quest. 15, art. 2; de *Verit.*, quest. 13, art. 2; 2^o dist. 1, quest. 1, art. 3.

(2) Dionysius, de *divinis Nominibus*, cap. 5.

(3) Vide num. 426, pag. 1193.

(quest. 15, art. 1) diximus ideas, id est formas exemplares in mente divina existentes (1).

Præclare S. Augustinus in hanc rem: *Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici, et credi non potest, restat, ut omnia ratione condita, nec eadem ratione homo, qua equus: hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus* (2). Et alibi: *Faber facit arcam: primo in arte habet arcam; si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit.... Sic ergo, fratres carissimi, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia etc.* (3).

Probatur secunda pars: *Causa mundi exemplaris non est extra Deum, sed ideis Dei essentiam suam contemplantis continetur.* Ratio vero est, tum quia antequam Deus mundum conderet, nihil erat, a quo ideas rerum faciendarum mutaretur, tum quia Deus summe independens est, sicut in essendo, ita etiam in operando, non autem esset summe independens in operando, si formas faciendarum rerum aliunde conquirere deberet. Quare ita pergit S. Augustinus post verba superius relata: *Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuetur, ut secundum id constitueret, quod constitueret; nam hoc opinari sacrilegum est etc.* (4). Et S. Anselmus omnino egregie rem totam declarat: *Quamvis summam substantiam constet prius in se quasi dixisse cunctam creaturam, quam eam secundum eandem, et per eandem suam intimam locutionem conderet; quemadmodum faber prius mente concepit, quod postea secundum mentis conceptionem opere perficit; nullam tamen in hac similitudine intueor dissimilitudinem. Illa namque (divina locutio) nihil omnino aliunde assumpsit, unde vel eorum, quæ factura erat, formam in seipsis*

que non est extra Deum, sed ideis divinis continetur.

(1) S. Thom., 1^o p., quest. 44, art. 3. Cfr. 1^o p., quest. 15, art. 1.

(2) S. August. *Lib. 83 Questionum*, quest. 46.

(3) S. August., *In Joann. tract.* 1, n. 17. Aliorum Patrum in hanc rem loca lege, si lubet, apud Em. Mazzella (*de Deo creatore*, disp. 1, art. 7) et P. Palmieri (*de Deo creatore et elevante*, thes. 9.^o).

(4) S. August. *Lib. 83 Questionum*, quest. 46.

compingeret; vel ea ipsa, id quod sunt, perficeret: faber vero penitus nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi id quod aut totum simul, aut per partes, ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit; nec opus mente conceptum perficere, si desit aut materia, aut aliquid, sine quo opus præcogitatum fieri non possit: quamquam enim homo tale aliquid animal possit cogitando vel pingendo, quale nusquam sit, fingere: nequaquam tamen hoc facere valet, nisi componendo in eo partes, quas ex rebus alias cognitis in memoriam atraxit. Quare in hoc differunt ad invicem illæ in creatrice substantia et in fabro suorum operum faciendorum intimæ locutiones; quod illa nec sumpta, nec adjula aliunde, sed prima et sola causa sufficere potuit suo artificio ad suum opus perficiendum: ita vero nec prima, nec sola, nec sufficiens est ad suum incipiendum. Quapropter ea, quæ per illam creata sunt, omnino non sunt aliquid quod non sunt per illam. Quæ vero per istam fiunt, penitus non essent, nisi essent aliquid, quod non sunt per ipsam (1).

Quomodo idea
Dei multiplex
esse possit.

Itaque idea Dei est ipsa essentia divina, non quidem præcise et absolute considerata, sed prout ab aliis entibus imitabilis ac participabilis; et quoniam imitabilis est ac participabilis secundum infinitam varietatem, ideo dicuntur ideæ esse plures, quamquam ex parte Dei, seu secundum id quod idea dicit in Deo, non possit esse nisi una: quare dici solet idea Dei *subjective una et objective multiplex*, quæ multiplicitas divinæ simplicitati officere nequit. Rem dilucide exponit Aquinas: *Hoc quomodo divinæ simplicitati non repugnet, facile est videre, si quis consideret ideam operati esse in mente operantis, sicut quod intelligitur, non autem sicut species qua intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cujus similitudinem domum in materia format. Non est autem contra simplicitatem divini intellectus, quod multa intelligat; sed contra simplicitatem ejus esset, si per plures species ejus intellectus formaretur.*

Unde plures ideæ sunt in mente divina ut intellectæ ab ipsa: quod hoc modo potest videri. Ipse enim essentiam suam perfecte

(1) S. Anselm. *Monolog.* cap. 11. Cfr. S. Thom., *de Verit.* quest. 3, art. 1.

cognoscit: unde cognoscit eam secundum omnem modum, quo cognoscibilis est. *Præterea autem cognosci non solum secundum modum in se, sed etiam secundum quod est participabilis secundum naturam, quæ est idea, quæ a creaturis.* Unaquæque autem creatura habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat divinæ essentia similitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem, et ideam hujus creaturæ: et similiter de aliis. Et sic patet, quod Deus intelligit plures rationes proprias plurium rerum, quæ sunt plures ideæ (1).

Tertia pars. Denique diximus omnium prorsus rerum, quas unquam Deus facturus est, esse ideam exemplarem in mente divina: idque patet ex primæ partis probatione. Si enim nihil operatur Deus casu, nihil ex necessitate nature; necesse est, ut omnium prorsus rerum ideas præconcepas habeat. Si ipse ordo universi est per se creatus ab eo, inquit Angelicus, et intentus ab ipso, necesse est, quod habeat ideam universi. Ratio autem alicujus totius haberi non potest, nisi habeantur propria rationes eorum, ex quibus totum constituitur; sicut ædificator speciem domus concipere non posset, nisi apud ipsum esset propria ratio cujuslibet partium ejus. Sic igitur patet, quod in mente divina sint propria rationes omnium rerum (2). Nominatum

Rerum omnium
quas unquam
facturus est,
habet
Deus ideam:

2) *Deus habet ideam singularium*, distinctissime representantem illa secundum rationes, tum genericas, tum specificas, tum individuales; quia Deus efficit illa secundum totam suam entitatem. Nec obstat, quod quædam singularia casu contingant in rerum natura; non enim casu contingunt respectu agentis, qui omnia præcognoscit, sed tantum respectu agentis proximi, seu causæ secundæ (3). Notat autem S. Thomas exemplar prius respicere in mente divina rationem speciei, quam rationem individui, quia prius etiam ac

et primo
quidem
singularium,

(1) S. Thom., 1^a p., quest. 15, art. 2. Cfr. 1.^o dist. 36, quest. 2, art. 2; *de Verit.*, quest. 3, art. 2; *Quodlib.* 4, art. 1.

(2) S. Thom., 1^a p., quest. 15, art. 2. Cfr. *ibid.* art. 3; 1.^a dist. 36, quest. 2, art. 3.

(3) Vide S. Thom. *de Verit.*, quest. 3, art. 8 per totum. Cfr. 1^a p., quest. 15, art. 3, ad 4^{am} quest. 22, art. 2, et 3; 1.^a dist. 36, quest. 2, art. 3 ad 3.^{am}

principaliter intendit ponere agens in esse rationem specificam, utpote perfectiorem (1).

¶ *Deinde accidentium.* 2) *Deus habet ideam accidentium* quia est etiam illorum causa immediata Deus, secundum *mente com* omnibus causis secundis operatur, et omnes effectus secundum eius prædefinitionem proveniunt (2). Solum notat S. Thomas accidentia propria, quæ nempe ex principiis subiecti causantur, quia una operatione in esse producantur cum suo subiecto, nec ab eo secundum esse separantur, unam quoque completam cum eodem subiecto ideam habere; non autem distinctam ac separatam. Cum enim idea sit forma rei operabilis in quantum huiusmodi, ea quæ una adæquata operatione efficiuntur; oportet, ut unam adæquatam ideam habeant in mente artificis. E converso accidentia communia, sicut non pertinent ad naturale complementum rei, nec insunt necessario eidem, nec proinde una communi operatione producantur, distinctam ac separatam ideam postulant: neque enim artifex formam rei excogitans, ea quoque in idea sua exhibere debet, quæ ad naturalem integritatem non spectant, sed contingenter possunt adesse vel abesse, cum possit sine illis produci et esse. Quæ doctrina connexionem quidem habet cum illa quæstione circa proprietatum resultantiam vel diminutionem, quam in *Ontologia* tractatam reliquimus; sustineri tamen quoad rem ipsam potest, ut mihi quidem videtur, in quacumque opinione.

¶ *et materie primæ.* 3) *Materia quoque prima habet aliquo modo ideam in Deo.* Rem declarat S. Thomas similiter ac ideam proprietatum. *Necesse est, inquit, ponere quod aliquo modo sit idea in Deo; cum quidquid ab ipso causatur, similitudinem ipsius utcumque retineat. Sed lamen si proprie de idea loquamur, non potest poni, quod materia prima per se habeat ideam in Deo, distinctam ab idea formæ vel compositi; quia idea proprie dicta respicit rem, secundum quod est producibilis in esse, materia autem non potest exire in esse sine forma, nec e converso. Unde proprie idea non respondet materie tantum, nec formæ tantum; sed compositi*

(1) Vide ipsum S. Doctorem, *Quodlib.* 8, art. 2.

(2) S. Thom. *de Verit.* quest. 3, art. 7; 1.^o dist. 36, quest. 2, art. 3 ad 4.^{um}

toti respondet una idea, quæ est factiva totius, et quantum ad formam et quantum ad materiam. Si autem large accipiamus ideam pro similitudine vel ratione, tunc illa possunt per se distinctam habere ideam, quæ possunt distincte considerari, quamvis separatim esse non possint; et sic nihil prohibet materie primæ etiam secundum se ideam esse (1).

¶ 4) Circa pure possibilis potest esse quæstio, utrum Deus illorum habeat ideam exemplarem. At quoniam exemplar proprie importat cognitionem practicam, respicitque opus prout faciendum, pure autem possibilis nunquam fient, quamvis possent fieri; docet S. Thomas non dari horum ideam in mente divina: *Eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum. Unde respectu eorum non est idea in Deo, secundum quod idea significat exemplar, sed solum secundum quod significat rationem (2), id est cognitionem vel principium cognitionis.*

¶ 5) Ob oppositam rationem non potest Deus malorum et privationum ideam habere. Ratio, quia *malum in quantum malum, nihil est, cum sit privatio quædam, sicut cæcitas. Et ideo rei malæ idea quidem in Deo est non in quantum mala est, sed in quantum rest est, et ipsum malum* (nempe rationem malitiæ) *per oppositum bonum cognoscitur a Deo, a quo res privationi subjecta deficit (3).* Similiter cum Deus non faciat per se mala, utpote quæ privationes sunt, sed bona; non habet etiam ideam, quatenus idea importat exemplarem causam (4).

¶ *Objic. 1.^o* Divina essentia nequit esse rerum omnium exemplaris causa, si non omnia fiunt ad similitudinem Dei. Atqui non omnia fiunt ad similitudinem Dei; nam passim videmus in rebus corporeis alias ad aliarum similitudinem secundum creatam exemplaria fieri. Ergo...

(1) S. Thom. *de Verit.*, quest. 5, art. 3. Cfr. 1 p., quest. 15, art. 3, ad 3.^{um}; 1.^o dist. 36, quest. 2, art. 3, ad 2.^{um}

(2) S. Thom., 1 p., quest. 15, art. 3 ad 2.^{um} Cfr. *de Verit.*, quest. 3, art. 6.

(3) 1.^o dist. 36, quest. 2, art. 3 ad 1.^{um}

(4) Vide S. Thom., 1 p., quest. 15, art. 3 ad 1.^{um}; *de Verit.*, quest. 3, art. 4 ubi plura require.

Quid dicendum de possibilibus.

Malorum ac privationum Deus non habet ideam.

Objectiones solutæ.

Resp. dist. Minor. Non omnia fiunt ad similitudinem Dei, saltem tamquam primi exemplaris *neg.*; proximi, *conc.* Et *neg.* conseq.

Possunt quidem in rebus creatis quaedam aliorum exemplaria dici, secundum quod quaedam sunt ad similitudinem aliorum vel secundum eandem speciem secundum analogiam alicujus imitationis. At semper ipse Deus est primus exemplar omnium (1), utpote fons et plenitudo omnis possibilis perfectionis.

Objc. 2.^o Perfectius est agens, quod non eget, quam quod eget exemplari. Atqui Deus est perfectissimum ens. Ergo exemplari uti nequit.

Resp. dist. Major. Quod non eget extrinseco exemplari, *conc.*; quod non eget intrinseco, *neg.* Sed e converso maximam in Deo arguit perfectionem, quod *essentia sua exemplar omnium rerum ponatur, et intuendo essentiam suam omnia producat (2).*

Objc. 3.^o Essentia divina nequit esse rerum omnium exemplar. Primo quia unum idemque nequit esse forma diversissimarum rerum. Atqui res creatæ infinitam præ se ferunt varietatem. Præterea exemplatum oportet, proportionem habeat ad exemplar. At res creatæ proportionem nullam habere queunt ad essentiam divinam. Ergo...

Resp. neg. assert.

Ad primam probationem, *dist. Major.* Unum idemque nequit esse forma diversissimarum rerum, quæ perfecte formam illam imitentur, *conc.*; quæ imperfecte imitentur, *neg.* Nam divina essentia est *similitudo singularum rerum, secundum quod diversæ res diversimode et particulariter ipsam imitantur secundum suam capacitatem, quamvis ipsa se totam imitabilem præbeat; sed quod perfecte non imitantur eam creaturæ, sed difformiter, hoc est ex earum diversitate et defectu (3).*

Ad alterum *dist. pariter Major.* Saltem proportionem, quæ habitudinem dependentiæ ac participationis et imitationis importet, *conc.*; proportionem, quæ vel æqualitatem vel mensuram certi ac definiti excessus aut distinctiæ importet,

(1) S. Thom. 1^a p., quæst. 44, art. 3.

(2) S. Thom. 1.^a dist. 36, quæst. 2, art. 1 ad 2.^{am}

(3) S. Thom. 1.^a dist. 36, quæst. 2, art. 2.

subdist. si exemplar sit finitum, *trans.*; si sit infinitum, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Divinam siquidem essentiam nihil potest ita imitatione assequi, ut vel æquet illam in perfectione, vel certa aliqua et mensurabili distantia ab ea separetur; quidquid enim fit, quantavis speciei nobilitate polleat, semper infinite distabit ab immetato exemplaris divini pelago omnis perfectionis.

100. PROPOSITIO 2.^o Inest omnibus mundanis entibus aliqua, utcumque deficiens representatio et similitudo Dei, major aut minor pro majore vel minore eorumdem perfectione: ac similitudo quidem entium irrationalium VESTIGII, similitudo vero rationalium et intelligentium nomen IMAGINIS apud Theologos acceptit.

Prima pars est corollarium præcedentis propositionis. Nam si ipsa divina essentia est exemplar omnium quæcumque Deus fecit, aut facturus unquam est, fieri nequit, ut res omnes creatæ aliquam similitudinem cum Deo non gerant; exemplatum quippe simile sit exemplari, oportet. Idemque patet ex eo, quod Deus sit causa et principium rerum omnium; omnis enim effectus aliquo modo causæ similis est.

Quia verò nihil potest esse in rebus perfectionis, quam non participant a Deo, plane sequitur, quo perfectius est aliquod ens, eo magis ad divinum exemplar accedere. Quamvis similitudo, quæ rebus creatis inest cum Deo, univoca esse nequeat, sed analogica dumtaxat, propter infinitam eminentiam exemplaris. Hinc est, quod quemadmodum scribit S. Dionysius, *eadem similia sunt Deo et dissimilia, similia quidem secundum quod imitantur ipsum, prout contingit eum imitari, qui non perfecte imitabilis est; dissimilia autem secundum quod deficiunt a sua causa (1).* Et propterea etiam sacræ Litteræ quandoque negant quidpiam esse simile Deo (2). Hinc est, quod licet ex creatis rebus veniamus in cognitionem Dei divinorumque attributorum; cognitio tamen hujusmodi

Inest mundanis omnibus entibus essentia divine alicujus representatio,

major vel minor pro majiori vel minori eorumdem perfectione.

(1) S. Dionys., *de divin. Nomin.*, cap. 9.

(2) Vide *Psal.* 82, v. 2; *Psal.* 85, v. 8.

imperfectissima est, non solum quia discursum continet, sed etiam quia medium demonstrativum, cum tantopere distet a re ipsa demonstranda, nequit præbere nisi notitiam imperfectissimam.

Præclare rem hanc declarat Angelicus: *Cum similitudo attendatur secundum convenientiam, vel communicationem in forma, multiplex est similitudo secundum multos modos communicandi in forma. Quædam enim dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma secundum eandem rationem et secundum eundem modum: et hæc non solum dicuntur similia, sed æqualia in sua similitudine, sicut duo æqualiter alba dicuntur similia in albedine: et hæc est perfectissima similitudo. Alio modo dicuntur similia, quæ communicant in forma secundum eandem rationem, et non secundum eundem modum, sed secundum magis et minus; ut minus album dicitur simile magis albo: et hæc est similitudo imperfecta. Tertio modo dicuntur aliqua similia, quæ communicant in eadem forma, sed non secundum eandem rationem, ut patet in agenlibus non univocis. Cum enim omne agens agat sibi simile: in quantum est agens, agit autem unumquodque secundum suam formam; necesse est, quod in effectu sit similitudo formæ agentis. Si ergo agens sit contentum in eadem specie cum suo effectu, erit similitudo inter faciens et factum in forma, secundum eandem rationem speciei, sicut homo generat hominem. Si autem agens non sit contentum in eadem specie erit similitudo, sed non secundum eandem rationem speciei; sicut ea quæ generantur ex virtute Solis, accedunt quidem ad aliquam similitudinem Solis, non tamen ut recipiant formam Solis secundum similitudinem speciei, sed secundum similitudinem generis. Si igitur sit aliquod agens, quod non in genere contineatur, effectus ejus adhuc magis remote accedet similitudinem formæ agentis; non tamen ita quod participet similitudinem formæ agentis secundum eandem rationem speciei, aut generis, sed secundum aliqualem analogiam, sicut ipsum esse est commune omnibus. Et hoc modo illa, quæ sunt a Deo, assimilantur ei, in quantum sunt entia, ut primo et universali principio totius esse (1).*

(1) S. Thom. 1 p., quest. 4, art. 3. Cfr. *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 29; *de Potent.*, quest. 17, art. Recole etiam quæ scripta sunt in *Ontologia*, n. 59, *Objic. 1.*, pag. 181.

Ad declarandam postremam partem propositionis, notandum ante omnia est, quid differat *vestigium* ab *imagine*. *Vestigium secundum quod hic sumitur, metaphorice accipitur, et sumitur ad similitudinem vestigiæ proprie dicti, quod est impressio quædam confuse ducens in cognitionem alicujus, cum non repræsentet ipsum nisi secundum partem, scilicet pedem, et secundum inferiorem superficiem tantum. Tria ergo considerantur in ratione vestigiæ: scilicet similitudo, imperfecto similitudinis, et quod per vestigium in rem, cuius est vestigium, devenitur (1). Ad rationem imaginis tria requiruntur: primo similitudo; secundo, quod similitudo sit secundum speciem vel certe signum speciei, quale potissimum existimatur esse figura; tertio origo ab alio. Sicut enim exponit S. Thomas, de ratione imaginis est similitudo. Non tamen quæcumque similitudo sufficit ad rationem imaginis (2), sed similitudo quæ est in specie rei, vel saltem in aliquo signo speciei. Signum autem speciei in rebus corporeis maxime videtur esse figura. Videmus enim, quod diversorum animalium secundum speciem sunt diversæ figuræ, non autem diversi colores. Unde si depingatur color alicujus rei in pariete, non dicitur esse imago, nisi depingatur figura. Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit vel figuræ, sed requiritur ad rationem imaginis origo; quia, ut Augustinus dicit (3) unum ovum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. Ad hoc ergo quod vere aliquid sit imago, requiritur, quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei (4). Æqualitas autem non est de ratione imaginis; quia ut Augustinus ibidem dicit, ubi est imago, non continuo est æqualitas, ut patet in imagine alicujus in speculo relucente. Est tamen de ratione perfectæ imaginis: nam in perfecta imagine non deest aliquid imagini, quod insit illi, de quo expressa est (5). Hisce conditionibus solet*

Quid differat
vestigium
ab imagine.

(1) S. Thom. 1.^o dist. 3, quæst. 2, art. 1.

(2) Cfr. S. August. in lib. 83 *Question.*, quæst. 74.

(3) In lib. 83 *Question.*, loc. cit.

(4) S. Thom. 1 p., quest. 35, art. 1. Cfr. 1 p., quest. 93, art. 1 et art. 2, dist. 3, quest. 3; 1.^o dist. 28, quest. 2, art. 1; 2.^o dist. 16, quest. 1, art. 1 et seqq.; *de Verit.*, quest. 10, art. 7 fin.; *epist. ad Coloss.*, lect. 4; et *epist. ad Hebr.* lect. 2.

(5) S. Thom. 1 p., quest. 93, art. 1.

adjungi quarta ad rationem perfectæ imaginis secundum naturam vel rationem specificam, ut nempe id, quod alterius imago dicitur, vi ipsius productionis vel originis habeat similitudinem illius: quo pacto filius est imago patris vi generationis, quæ natura sua tendit ad simile secundum naturam producendum. Quare vestigium dicitur repræsentare solam causalitatem rei, nempe facit cognoscere, quod detur causa, imago autem repræsentat formam ipsam causæ. *Omnis effectus aqualiter repræsentat suam causam, sed diversimode. Nam aliquis effectus repræsentat solam causalitatem causæ, non autem formam ejus, sicut fumus repræsentat ignem: et talis repræsentatio dicitur esse repræsentatio vestigii, vestigium autem demonstrat motum alicujus transeuntis, sed non qualis sit. Aliquis autem effectus repræsentat causam quantum ad similitudinem formæ ejus, sicut ignis generatus ignem generantem, et statua Mercurii Mercurium: et hæc est repræsentatio imaginis (1).*

Imago Dei est
solum in entibus
intellectualibus,
vestigium
in omnibus.

Quare facile est probare in omnibus quidem rebus inesse vestigium Dei, imaginem tamen solum in entibus intellectualibus. Nam ubicumque est aliqua repræsentatio vel similitudo ex alio expressa, oportet, ut sit saltem vestigium ejus. Atqui adest in omnibus rebus aliqua divinæ naturæ similitudo ac repræsentatio, ut vidimus. Ergo in omnibus prorsus creatis rebus agnoscendum est saltem vestigium Dei. At imago non quacumque similitudinem importat, sed similitudinem secundum rationem specificam; similitudo vero speciei attenditur secundum ultimam differentiam, quæ exprimit præstantissimum, quod est in re. Atqui præstantissimum, quod apparet in divina natura, est, quod sit spiritualis et intellectualis, immo ipsa intellectio per se subsistens. Ergo ea tantum entia, quæ intellectualem naturam participant, nempe angeli et homo secundum animam rationalem, perfectius quidem illi quam iste, divinam imaginem mente impressam præ se ferunt secundum ipsam naturalem substantiam. Quare etiam in sacra Pagina dicitur homo creatus ad imaginem et similitudinem Dei (2). Qua de re sæpe

(1) S. Thom. 1. p., quæst. 45, art. 7. Cfr. 1. p., quæst. 93, art. 6.

(2) *Genes.* cap. 1, v. 26-27; *Sapient.* cap. 2, v. 23; *Eccl.* cap. 17, v. 1.

scripsit S. Thomas (1), ac Theologorum est fusiuse disputare (2).

Cæterum tum vestigii tum imaginis rationem considerant Theologi non solum respectu naturæ divinæ unius, sed etiam respectu Sanctissimæ Trinitatis: et vestigium quidem, *in quantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quæ necesse est reducere in divinas personas sicut in causam* (nempe per appropriationem), quia videlicet omnia suum habent esse cum certa specie et ordine, factaque sunt in numero, pondere et mensura, prout fusiuse declaratum videbis apud S. Thomam (3). Imaginem vero, vel quia in homine insunt tres potentiæ, memoria, intellectus et voluntas, in una anima existentes, ut explicat Magister Sententiarum (4), et sumitur ex S. Ambrosio (5) et S. Augustino (6); vel ut indicat Angelicus (7), quia sicut in divinis processio est per intellectum et voluntatem, simili modo est actus intellectus et volitionis in anima, quæ sic intelligendo producit verbum, et diligendo, amorem; id quod late prosequitur S. Augustinus (8), et attingit S. Hilarius (9).

Vestigium
et imago
Sine Trinitatis.

Dices. Si omnium Deus habet ideam exemplarem, quam perfectissime res omnis imitatur, nec illa idea est aliud ab ipsa Dei essentia, prout nos ipsi superius docuimus; ergo quælibet creatura divinam naturam perfecte repræsentat, atque adeo non solum vestigium, sed imaginem quoque Dei in se habet.

Resp. neg. conseq. Quia quamvis idea divina, prout est in Deo, identificetur cum ipsa ejus essentia; nihilominus nulla

(1) 1. p. quæst. 93, art. 1, 2, 3; 1.^o dist. 3, quæst. 3; 2.^o dist. 16, quæst. 1, art. 1 et seqq.

(2) Vide S. Bonavent. 2.^o dist. 16, ac Theologos generatim in eundem locum Sententiarum, vel in 1.^{um} p. Summ. S. Thom. quæst. 93; Suarez, *de Oper. sex dier.* lib. 3, cap. 8; Petav. *de Opific. sex dier.* lib. 2, cap. 1 et 2.

(3) 1. p. quæst. 45, art. 7.

(4) 1.^o dist. 3.

(5) *De dignitat. human.* cap. 2.

(6) *De Trinit.* lib. 10, cap. 1.

(7) 1. p., quæst. 45, art. 7; et quæst. 93, art. 6.

(8) *De Trinit.*, lib. 14, cap. 7 seqq.

(9) *De Trinit.* lib. 4.